



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

Parisiis, 1644

Epistola XV. Ioannis Papae VIII. Ad Episcopvm Carnotensem. Pro
Madelgero qui Odelricum occiderat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15967

tas, extat; necessario duximus eundem virum alii ecclesie præponendum & incardinandum, Bituricensi videlicet, quæ & vacans esse nobis denunciata est, & tanti viri digna regimine: ne per minus idoneum rectorem salubre saluandarum animarum desit ei præsidium, & nos e contra ingentis culpæ inuoluamur annexu, si tanto urgente discrimine, tantæ minus consulamus ecclesie, propugnatori hanc probabili minime committentes. Prioribus itaque manentibus regulis inconuulsis, quæ vbi nec rerum, nec temporum vrget necessitas, iure conuenit obseruari, vacante sede, Frotarium fratrem & coepiscopum nostrum in sede Bituricensi præficiendum ordinauimus sacerdotem: ita vt in ea incardinatus, & quodammodo auctoritatis apostolicæ priuilegio radicans, cetera metropolitana Bituricensis ecclesie ac dioceseos iura tamquam Deo contemplante obtineat, dispenset & ordinet, omni posthac querimonia inuidorum prorsus ablata. Cui vos tamquam proprio metropolitano conuenit obedire, & competentem exhibere, secundum pristinum morem, reuerentiam & honorem. Sane latere vos nolumus, sic nos ista interueniente non modica barbarica necessitate nunc concedere, vt tali necessitate remota, consuetudinarie vltius non requiratur, quod remoueatur etiam illud, quod necessitas imperaret. Optamus sanctam fraternitatem vestram in Christo nunc & semper valere. Data v. Kalendas Nouembris, indictione decima.

EPISTOLA XV.

IOANNIS PAPÆ VIII.

AD EPISCOPVM CARNOTENSEM.

Pro Madelgero qui Odelricum occiderat.

Ioannes episcopus reuerentissimo Gislberto episcopo sanctæ Carnotensis ecclesiæ.

DILECTIONIS vestræ reuerentiam spiritalibus polere virtutibus procul dubio arbitantes, his apostolatus nostri literis conuenire, ac pro præsentem viro Madelgero, qui suadente aduersario quemdam hominem Odelricum nomine gladio peremit, vnde diuina inspiratione compunctus ad limina sanctorum apostolorum principum Petri ac Pauli, per longa itinerum

Concil. Tom. 24.

C ij

spatia pro ipsius delicti abolitione venire curauit, petere studemus, vt pro amore Dei, & eorum ad quorum sacratissimas ecclesias venit, & pro suis excessibus Deum deprecatus est, nec non & pro nostræ paternitatis dilectione, illi omnes res proprias, atque beneficium cum propriis honoribus quos abstulistis, cum plenaria gratia reddere non dedignemini, sicuti dilectionis nostræ confortium & caritatem circa te cupis habere sinceriter illibatam. Data *vt supra*.

EPISTOLA XVI.

IOANNIS PAPÆ VIII.

AD DOMINICVM ET LEONEM EPISCOPOS.

Significat quosdam qui Romam ad Concilium vocati venire neglexerant, se excommunicasse, nisi ad certam præstitutam diem venerint: hortatur vt quamdiu illi abfuerint, eorum officia exequantur.

Ioannes episcopus Dominico Oliuolensi, & Leoni Caprensi, episcopis.

SANCTITATEM vestram nolumus ignorare, misisse nos Felici & Petro episcopis, & Dominico, qui vocatur electus Torcellensis ecclesiæ, seu abbati Altinensis monasterii, atque archidiacono Torcellensis ecclesiæ, nec non & archipresbytero & archidiacono, atque huius æquiuoco ac nepoti Laurentio diacono Gradensis ecclesiæ, quia totiens a nobis vocati ad Concilium Romæ occurrere contempserunt, futuram excommunicationis sententiam, & eum qui ex his nunc saltem venire distulerit, tamdiu post Idus Februarias omni ecclesiastica communicatione priuasse, quamdiu in obstinatione propria perseuerans, apostolicam adire sedem contempserit. Alios enim horum nostro Concilio pro communibus ecclesiæ vtilitatibus volumus interesse. Quosdam autem, quia super quibusdam reprehenduntur excessibus, de his satisfacturos requirimus. Vnde, fratres carissimi, vos in specula esse præcipimus, & si quidem prædicti episcopi, dextera excelsi corda eorum immutante, ad Conciliū nostrum circa Idus occurrerint, vt prædictum est, Februarias; vos per ipsam regionem morati, quæ sunt veræ religionis peragite: ne quis sine